

in Dodendorp ab ecclesia parrochiali matrice in Osterweddinge et eius iure ac cura dimembrantes et absolventes illam in propriam et singularem ecclesiam parrochiam duximus erigendam et instaurandam, ecclesiam quoque parrochiam in Billingstorp de simili eiusdem capituli nostri ac etiam thesaurarii necnon honorabilis domini Theoderici bie der Bever eiusdem ecclesie rectoris consilio consensu et voluntate una cum quatuor mansis in campis eiusdem ville situs ad eam pertinentibus ac universis et singulis aliis iuribus libertatibus pertinentiis honoribus et oneribus eiusdem memorate ecclesie parrochiali in Dodendorp decrevimus incorporandam et uniendam, statuentes ac decernentes memoratas duas in Dodendorp et in Billingstorp ecclesias de cetero fore debere unum et singulare ecclesiasticum beneficium cum cura illiusque collationem ac provisionem ad abbatem pro tempore dicti monasterii in Berge, ad quem exantea supradictarum ecclesiarum in Osterweddinge et Billingstorp collatio pertinuit, perpetuo debere pertinere, iuri quoque nostro ac predicti domini thesaurarii archidiaconi banni Weddingen in ecclesia nostra quod in dictis ecclesiis ante ipsarum unionem habuimus in premissis semper salvo. Nulli ergo omnino homini liceat hanc paginam nostrarum dimembrationis absolutionis erectionis instaurationis incorporationis unionis statuti decreti et reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei beatorum Petri et Pauli apostolorum eius ac sanctorum Mauricii et sociorum eius martirum patronorum nostrorum se noverit incursum. In quorum fidem et testimonium has nostras literas sigilli nostri maioris iussimus et fecimus appensione communiri. Et nos Arnoldus de Tresskowe, prepositus Iohannes de Redekin decanus ac capitulum et Petrus de Werder thesaurarius ecclesie Magdeburgensis predictae etiam publice recognoscimus per presentes, quod huiusmodi dimembratio erectio et unio ac omnia et singula premissa cum nostro consilio consensu et voluntate acta sunt. In cuius certitudinem sigillum capituli nostri et mei thesaurarii sigillo prefati domini nostri generosi archiepiscopi et primatis duximus coappendendum.

Datum in aula nostra Magdeburgensi die vicesima mensis Octobris sub anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo sexagesimo pontificatus nostri anno decimo septimo.

*Original im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster - Bergische Stiftung 90. Abschrift im Privilegienbuche S. 147—151 mit der Ueberschrift: Ecclesia in Dodendorp separatur ab ecclesia in Osterweddinge. in cap. K I, und im Weissen Buche S. 132—135. Gedruckt: Geschichtsblätter für Stadt und Land Magdeburg IV, 567—569.*